

57

*Panis est corpus, id est, signum corporis Christi: iudicatur non ex Logica, sed ex Rhetorica, quæ exponit vocabulum corpus improprie positum, per signum corporis. Quare improprietas illa non est Logica in dispositione, sed est Rhetorica in vocis significatione impropria. Propositio patet. Omne enim anomalum est iudicandum ex sua regula, à qua deflectit: Omne improprium ex suo proprio, à quo recedit: omnis privatio ex suo habitu. Iam hæc propositio: Panis est corpus Christi: tanquam impropria reducitur ad propriam, non per regulas Logicae dispositionis, sed per expositionem tropi Rhetorici, ut nimirum corpus dicatur, & non intelligatur ipsum corpus, sed signum sive sacramentum corporis; quæ est omnium Calvinistarum sententia. Vbi igitur stabit improprietas illa Logica? in qua argumentorum dispositione sive connexionione invenietur?*

88. Deniq; ne sim longior in re manifestissima, si exempla quedam proferri possent impropriarum Logicarum propositionum (quod fieri posse constanter nego) nullum tamen adhuc prolatum fuit ex ullo autore Classico, quod simile sit illi propositioni: Panis est corpus Christi. De qua tamen ipsa subinde inculcandum est, esse eam Ecclesiasticam, non autem ipsius scripturæ, quantum ad τὸ ἐν τῷ. Et addo illud, multos ex Calvinianis diserte testari, metonymiam sacramentalem esse, quædo signatum prædicetur de signo vel contrà. Quæ sententia conciliari cum illa non potest, quæ in propositione ista impropriatatem Logicam constituit, non autem Rhetoricam. Omnem enim metonymiam esse Rhetoricam spero neminem negaturum esse, nisi qui extremam velit proderè inscitiam.

89. Ex quibus omnibus constare satis potest, in verbis illis Christi: Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus: sive sigillatim consideratis, sive in tota propositione conjunctis, vel etiam in ipsa tota propositione sive connexionione, ullum tropum, ullam Metaphoram, ullam metonymiam, locum invenire non posse: multoq; minus esse Logicam propositionem impropriam, analogicam, relativam, & significativam: hoc est, per meram relationem,

E

signi-